

Coniecturae Sueianae.

Quod inter incerta palliatae fabulae frusta olim receperam fr. XVIII *Sueio* poetae videtur reddendum esse quamquam silentio praetermissum a Luciano Muellero, cum is in mus. Rhen. XXIV p. 553 sqq. huius hominis memoriam data opera resuscitaret. Nam apud Varronem de l. l. VII 104 M. cum Florentinus codex haec exhibeat: ‘*sucta frendice frunde et frutinni suauiter*’, auctorem exempli, si quidem nomen poetae lateret, *Suevium* potissimum statuendum esse iam Ritschelius Parerg. p. 30 monuerat, quamquam aliam tunc eamque aliquanto difficiliorem praetulit emendandi viam, quam non dubito quin probabiliori locum concedere facile passurus sit. Atqui Turnebus illa *a frendice* si recte emendavit *ab irundine*, consentaneum est quod sequitur *frunde* non esse quem Scaliger restitui iussit imperativum *frende* (nam aprorum vel meritorum, non hirundinum est *frendere*: Sueton. de nat. anim. 161 p. 248. 252 R.), sed *irundo*, quam fortasse adlocutus poeta sic in trochaico carmine scripsit: *irundo, tú (vel et tú) fritinnis suáviter*. Quibus Varro praeposuit *Suei ab irundine* ut supra *Ennii a vitulo* et alia. Ulro autem intellegis quam haec adprime in ipsum *pullorum* carmen *Suei*, de quo disseruit L. Muellerus, quadrent. Cf. Varronis ex saturis hendecasyllabum p. 235 fr. II R. et *pullos peperit fritimientis*.

Nec inutile erit cetera ex *Suei pullis* fragmenta vel post novissima studia in eis posita denuo examinare.

I Nonius p. 72, 24 ‘*assulatim* ut minutatim . . . *Vaeius Pullis: escam hic iure inops pullo da adscint ille simul assulatim uis aias sumit cibum*’. Bene Mercerus ex illo *inops* elicuit *in os*. Reliqua hominum doctorum commenta absurdia et partim ridicula sunt, velut novum istud vocabulum *fittilla* a ‘*fio fitum*’ verbo mira analogia procusum, quod extitit qui ex Arnobii adv. nationes II 21 expiscaretur, ubi nos ceteri mortales haud gravatus quam apud eundem VII 24 et apud Plinium n. b. XVIII 8, 84 *fritilla* restituimus. Etiam *iussellum*, quo tinctam mater escam pullo porrigat, quale sit et quo modo paretur fortasse Apicius aliquis praeceperit, ego ignoro iuxta cum ignarissumis. Scribenda autem puto haec: *escam ex óre in os pulló datat
frictilem, simul ássulatim ávis avi assumit cibum*.

II Nonius p. 139, 25 ‘*morsicatum. Suis Pullis: sic incedunt et in labellis morsicatum lusitant*’. Non delendum quod et metro

et sermoni officit *in*, sed una cum *et* vocula emendandum est. Nec morsiunculis conflictantes inter se et inhaerentes sibi pulli *incedere*, immo *insidere* sive in nido sive in ramo putandi sunt. Quorum habitum lusumque his a poeta descriptum esse conicio:

sic insidunt: ém labellis mórsicatum lúsitant.

Ipsius enim nidi mollitiem laudavisse idem videtur tertio loco (apud Nonium p. 513, 21), cuius numeros constituit L. Muellerus: *úbi tu nequaquam cubares ásriter . . .*

Ex Moreti carmine dactylico Macrobius Sat. III 18, 11 quae-dam servavit nondum omni ex parte persanata. Ac primus versus teste Eyssenhardtio sic in libris traditur: *admisce tua ca basilicis (caua silicis) B) haec nunc partim*, quibus ille sic in textu exhibitis *admisces * * * caua silicis haec nunc partim* quam omnino sententiam quamve *caua* vocis mensuram esse voluerit non declaravit. Non post, sed ante *admiscedi* verbum lacuna statuenda erat. Quod cum praecedant Macrobii haec ‘nam cum loquitur de hortulano faciente moretum, inter cetera quae eo mittit et hoc pomum’ (Persicum scil.) ‘mitti ait his *verbis*’, suppleri et emendari posse versus sic videtur:

*orbi admisce cavo silicis ficolnea partim,
partim Persica e. q. s.*

Cf. Verg. Mor. 97 ‘lapidisque *cavum* dimittit in *orbem*’ (praeterea 23: ‘*silices gremiumque molarum*’, 26 ‘*rotat adsiduum gyris et concitat orbem*’). Ibidem in versu 6 *in praelatis finibus Grais* quid sit non intellego: immo in *prolatis*, h. e. *ultra ipsam Graeciam*, novos fructus Alexandri Magni comites non *disseruere*, ut traditum est, sed *disseverere*. Parvi enim facio Prisciani p. 900 P. testimonium, qui Eanum in Praeceptis *seruit* protulisse narrat, eo quidem septenarii loco, ubi *sevit* non minus bene quam apud Sueium in hexametri initio *dissevere* in numeros quadraret: *quóniam tanto stúdio sevit*, si quidem recte Vahlenus mus. Rhen. XVI 580 *quam* mutavit in *quoniam*. Aliorum ‘*vetustissimorum*’ memoriam non addidit grammaticus, nec dubitandum quin paucis illis Livii Columellae, aliorum locis, quos Neuius gramm. Lat. II p. 379 sq. composuit, codicum memoria leviter corrupta sit. Ergo Sueio apud Macrobium versus 6 et 7 tales restituendos esse censeo:

*hoc genus arboris in prolatis finibus Grais
disseverere novos fructus mortalibus dantes.*

Annalium vel rerum gestarum poema fuit, cuius ex *quinto libro* idem Macrobius VI 1, 37 laudat secundum codices haec: *re-deunt referunt petita rumore secundo*. Ad quorum exemplar cum Vergilii Aen. VIII 90 ‘ergo iter incepturn peragunt rumore secundo’ factum esse moneat, certe illa *rumore secundo* suo loco relinquenda, non transpositione verborum *rumore petita secundo*, qualem Muellerus proposuit, cum gravi numerorum damno distrahenda sunt. Immo corrigendum est *petita*, quamvis ipsa medela sit incerta: conicere licet *pactam* scil. pacem, sive *pactum*, foedus scilicet.

Aliena Suei memoria est ab illis, quae post locum supra emendatum secuntur apud Varronem, ubi primum 'Maccius in Casinga a fringuilla: quid friguttis? quid istuc tam cupide cupis?' deinde secundum Florentinum codicem haec leguntur: 'sues auoluerat ita tradede q. inre neq. in iudicium Esopi nec theatri trittiles', quibus vocum ab animalibus translatarum series concluditur. Inserui haec quoque olim inter adespota palliatae fragmenta (fr. XIX). Sed superiorum exemplorum, 'minus apertorum' certe similitudine flagitatur, auctoris et animalis nomen ut ipsi exemplo praemittatur; quamquam utrumque librarii culpa ita corruptum est, ut leni remedio elici vix possit. Atque infeliciter O. Muellerus *Sueti a volucribus* proposuit, postquam *a volucri* Spengelius indi- caverat, quasi non volucres ipsae quoque hirundo et fringilla essent. Nec *Sueium* intermixto versu Plautino iterum redire probabile est. Temptavi euidem *Iuentius ab ulula;* nam *ρυκτερὶς τρίχαι* et *ρυκτερίδος τερπιγένεων* legitur in Graecis tractatibus, quos in Suetonio suo repetiit Reifferscheidius p. 253 sq.; nec dubium fere quin comicum poetam laudaverit Varro, qui Iuentium bis praeterea commemoravit. Iam seniorum sententiam sat apertum est talem fere fuisse:

ita trádidi: quid ní? neque hili [existumo]
iudicium Aesopi néque theatri trittiles
[voces.]

Poteram alia quoque, e. c. *neque flocci existumo* ut in *Mo- stellariae* v. 76 Plautus, ubi Ritschelii videnda adnotatio; vel *ita trádidi: quin vére? neque nauci* (vel *flocci*) *aéstumo*. In prologo aliquo haec locum habuisse ut olim conieci, etiam nunc persuasum est, nisi quod tunc *sus avolaverat* in praecedentis senarii fine collocatum et huius ipsius vel locutionis vel fabulæ insolentiam Aesopi auctoritate et populi increduli sibilo damnatam fuisse suspicabar. Nec sane nimis improbabilis in tantis tenebris vel illa ratio est, qua Varronis de poeta et de animali notationem vel propter litterarum ac syllabarum similitudinem quandam vel alia causa excidisse statuitur.